



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

XII. De virginibus sacris si nupserint, aut lapsae fuerint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

tio constituti, ingens molestia vt redderetur imminebat.

## XII.

17. qu. 1.  
Quæ Chri-  
sto spiritali-  
ter.

Item quæ Christo spiritaliter nupserunt, & velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruerint, non eas admittendas esse ad agenda pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcumque viuento viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agenda pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis fuerit defunctus: quanto & illa magis tenenda est, quæ ante immortalis se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?

## XIII.

17. qu. 1.  
Hæc vero  
quæ non-  
dum.

Hæc vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper manere promiserant, licet velatæ non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum a Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerit virgo, solui sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt visæ?

1. Tim. 5.

Hæc itaque regula, frater carissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei sacerdotibus obseruata, cessabit ambitio, dissensio conquietet, hæreses & schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæuendi: manebit vnanimitas, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali feruore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animæ concordabit: implebitur & dictum Apostoli, *vt vnanimis, vnum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vendicantes*, non hominibus sed Deo nostro saluatori placentes, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Datum 15. Kalendas Martias, Honorio Augusto VI. & Aristæneto viris clarissimis consulibus.

Philip. 2.

## NOTÆ.

Quo tēpo-  
re quæ  
occasione

\* *Epistola.* ] Hanc decretalem epistolam Innocentius anno pontificatus sui tertio, qui est Christi 404. Victoricio Rothomagensi Episcopo,